

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV**

**Weidenfeld, Johann S.**

**Londini, 1684**

VII. Menstrua Veg. composita ex Menstruis Vegetalibus simplicibus

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

## VII. GENUS.

*Menstrua vegetabilia composita ex men-  
struis prædictis simplicibus.*

38. Circulatum majus Guidonis,  
*Pag. 4. T. Sauri. Chym.*

Rx. **S**piritûs vini ( *phlegma* ) uncias sex, salis vini ( *ejusdem* )  
uncias quatuor, in balneo, quem optimè clauso destilla spiritum  
in balneo, quem reasfunde super sal vini, iterum-  
que destilla, idque fieri debet duodecies. Tum digere per  
mensē in balneo rorido; factâ putrefactione exime, & destilla  
ex cucurbita, & alembico bicipiti sive duorum rostrorum, in  
balneo, & spiritus vini ascendet per rostrum superius in suum  
recipiens, phlegma verò per inferius in suum vas. Exime sal  
vini, cui affunde medietatem spiritûs vini, & destilla ex retorta  
in alteram vini partem, destilla adhuc semel desuper residuum,  
& sal omne ascendet in menstruum fortius. Quod si desideres  
debilius, adde spiritûs vini uncias sex ( *alias,* ) at si velis de-  
bilissimum affunde majorem quantitatem spiritûs, verum jux-  
tà prædictum pondus, nostrum fit menstruum vegetabile ma-  
gnum vel circulatum majus.

## Annotationes.

**H**æc genus de menstruis vegetabilibus simplicibus; sequuntur  
nunc quæ composita dicuntur, non quasi pluribus componan-  
tur ingredientibus, sed quod simplicibus sint fortiora, tam in suis  
dissolvendi quàm tingendi qualitatibus. Menstrua hujus generis  
non differunt à prioribus in materia, nec in præparandi metho-  
do, sed pondere tantum, eò fortiora enim sunt menstrua, quò  
ma-

maiores addideris ariditatem unctuoſo Vini phil. ſpiritu. Guido ſuum circulatum minus confecerat ex ſalis vini parte una & ſpiritus vini partibus quatuor; Circulatum vero majus componit ex ſalis vini partibus duabus, & ſpiritus vini partibus tribus. Quò major ſalis quantitas ſumitur, eò fortius fit circulatum. Circulata minora extrahunt rerum eſſentias ſive tincturas; at circulata majora diſſolvunt corpus totum in magiſterium, quemadmodum apparebit libro ſecundo.

Menſtraa vegetabilia compoſita fiunt etiam, ſi menſtraa vegetabilia ſimplicia ſumantur, loco ſpiritus vini phil. in omnium illorum deſcriptionibus. Ita fit

### 39. Menſtrum acutum Guidonis, Pag. 8. Theſauri. Chym.

Re. **M**ENſtrui vegetabilis (circulati minoris ſub No. 36. deſcripti) libram unam, ſalis armoniaci (communis) uncias duodecim, deſtilla per retortam primò leni igne, deinde fortiori, & ſal armoniacum pro parte aſcendet, reafunde, & deſtilla adhuc ſemel. Tum iterum adde uncias duodecim novi ſalis armoniaci, deſtilla fortiter ex cineribus, reafunde & cohoba adhuc bis, & habebis menſtrum noſtrum acutum.

Sal armoniacum vini phil. ſpiritu redactum in liquidam ſubſtantiam, menſtrum eſt quarti generis, at idem ſal cum circulato minore Guidonis deſtillatum, menſtrum fit non ſimplex, ſed compoſitum, eoque præſtantius, ob tantam novi ſalis armoniaci quantitatem additam. Pariſinus in tertio menſtruorum genere ſpiritum Vini phil. acuit melle crudo; quo modo fit menſtrum ſimplex hujus generis, fit autem compoſitum, ſi ſali ſuo fixo permisceatur, & deſtilletur per alembicum.

### 40. Cœlum majus Pariſini, In Apertorio.

Re. **B**. Id eſt vinum rubeum putrefactum, ut ſcis; pone in cucurbita vitrea cum ſuo alembico & recipiente bene

lutatis, & pone in balneo, in quo sit tantum aquæ, ut supernatet dictam lunariam per duos digitos, & destilla leniter, & protinus videbis apparere venas in alembico, continua destillationem quamdiu apparuerint, & venæ hæc erunt instar lachrymarum claræ ad modum cristalli, & cum venerit mors (*phlegma*) qui occidit spiritum, dictæ venæ vel lachrymæ cessabunt & apparebunt rotundæ, ut perlæ. Tum temporis remove recipiens, quod claude, ne evaporet spiritus, & reponere in loco frigido. Et ita separasti ejus animam (*spiritum*) quamvis sui mortis parum adhuc in se contineat, & hoc modo continuabis destillationem (*mutato jam recipiente*) donec omne ascenderit phlegma odoriferum, & materia remaneat instar picis luscæ, nigræ & crassæ, quam ne nimium exsiccet observa, sed usque ad signa dicta tantum. Et ita habebis duo fermenta ex nostro B. Cave alicui reveles hanc practicam quam tibi communicamus sub periculo tuæ animæ. Quia fores causa multi mali in hoc mundo, perpetrandi à filiis iniquitatis. Propterea reponere eam in manibus Dei omnipotentis, qui scit voluntatem eorum, qui vivunt juxta suam voluntatem & triumphans Evangelium, & pro hujus gloria extraxisti formam ex B. & eodem modo extrahere potes ab omnibus individuis animalibus & vegetabilibus. *Cap. secundum significatum per C. R.* Ejus animam (*spiritum*) reservatum in loco frigido, & destilla in Balneo ejus medietatem, vel usque venæ pretiosæ ascendere desinant, rectifica adhuc bis, observatis iisdem regulis, sed tertiâ & quartâ vice; quamprimùm appareant venæ, cessa destillare, & tenta num comburat linteum; quod si non, repetatur destillatio, donec id faciat. Postea cohoba per se quater vel sexies in balneo. Et ita habes modum idoneum rectificandi dictam materiam vel animam (*spiritum*) quæ est tantæ virtutis, ut nulla lingua exprimi queat, vel recitare secreta, quæ Deus æternus ipsi concesserit. Ut cum essemus Venetiis, urbe famosa, ambo vidimus ejus quædam experimenta. Et ita serva eam bene in loco frigido.

*Cap. tertium significatum per D. D.* Declaratâ jam methodo rectificandi & separandi spiritum ardentem nostrum à sua morte, ejus virtutem & potentiam depravante. Nunc scias, ipsum non habere potentiam dissolvendi duo luminaria, & reducendi ea in actum, nisi prius acuatur, ut tibi dicam; Etiam-  
fi

si præparatio hæc docenda sit in generalibus *in cap. F.* nihilominus, ne ullum tempus amittas, quamprimum rectificaveris spiritum tuum ardentem dictum aliàs primum florem, mallem ut ipsam protinus poneret in practicam: Quam in hoc capite significavimus duplici hæc litera D D. quarum una indicat ejus acuitionem, altera suum regium acuens, id est, sal è melle extractum, eo modo quem tibi sæpius monstravimus, hoc est, cum pretiosissima sua aqua (*mellis sive menstruo in genere tertio sub No. 10. descripto.*) Et licèt aqua hæc satis sit bona, attamen aqua hæc acuata suo pretiosissimo sale, de quo eris certior, tibi recompensabit tuum laborem, largitèrque te sustentabit, usque dum attingas finem tui laboris, medicinam magnam. Nunc ad propositum.

℞. Mel apium juvenum, album, pone in putrefactione in cucurbitis magnis cum suis alembicis in balneo, & fac, ut quotidie bulliat per horam; reliquum temporis maneat in calore temperato, & hoc facies per spatium quindecim dierum naturalium. Tum affunde tantum C. ut supernatet quatuor digitorum latitudine, claudendo alembicis cæcis, & ponendo in putrefactione per tres dies naturales. Tum appone alembica cum suis recipientibus & juncturis bene lutatis destilla ex balneo, & cum ex octo partibus septem fuerint destillatæ, vel (*quod signum est certius*) cum videris ascendere lachrymas rotundas vel guttas, depone recipientia, quæ optimè clausa, ne aliquid evaporet, reserva in loco frigido, pro sui acuitione; postea continua destillationes eodem caloris gradu, usque nihil ascendat amplius, verùm si necessitas requirat ut augeatur ignis, cave ne fiat nimium, & cum nihil ascenderit dicto regimine, remove etiam hæc recipientia, & serva ea, quia continent aquam secundam sive phlegma pro extractione pretiosissimi salis. Jam pone materiam tuam in cineribus, & destilla calore tertii gradus, destillato oleo, sine ut frigeat materia, quam tritam reverbera in patina fictili in reverberatorio per octo dies, vel usque quo satis fuerit calcinata, signum erit, quando eam inveneris coloris cineritii. Tum affunde de phlegmate reservato tantum, ut cooperiatur per duorum digitorum latitudinem; vase clauso alembico cæco, servetur in balneo per duos vel tres dies, decanta liquorem, & novo affuso phlegmate repetatur toties, donec extraxeris omne sal, quod excellit nivem

in

in albedine. Et hoc est sal istud, quo acuimus nostrum C. simplex ( *spiritum ardentem pro menstruo quinti generis* ) hoc est, quod ambobus luminaribus dat principium vegetationis, reducens ea in naturam quintæ Essentiæ. Et eodem etiam acuere potes & augmentare propriam suam aquam ( *mellis sive menstruum tertii generis* ) quæ potentiam habet vegetandi omnia mineralia. Hoc solo te supportabis in tuis necessitatibus. Aded, fili, ut oporteat agere gratias potentie absolutæ. Cave, ne alicui reveles tam magnum secretum, nam istud jam declaravimus tam planè, ut impossibile sit ulterius aliquid addere. Nunc recipe decantationes tuas, quas abstrahe in balneo, ut remaneat sal albissimum, quod dissolves, filtrabis, & congelabis ter, & erit idoneum pro omnibus tuis operationibus. Jam descendamus ad practicam acuitionis.

R. Salis prædicti unciam unam, cui bene pulverisato affunde partes quatuor C. D. id est, spiritus primi ( *ardentis, sed quia hoc spiritu fieret menstruum quinti, & non hujus generis, ideo accipiatur C. melle acutum, sive Cælum mellifluum Parisi, menstruum tertii generis.* ) Alembico cæco & juncturis optimè clausis putrefac per duos dies naturales, tum alembico & recipiente appositis destilla in cineribus. Finirà destillatione sumas pondus salis remanentis in retorta, cui adde quadruplum C. putrefaciendo & destillando in cineribus, ut supra, & magisterium iterabis toties, donec sal omne ascendat unà cum spiritu suo cælesti, aliàs C. & hoc modo acuabis & multiplicabis juxta placitum. Sed reminiscere partem unam salis requirere partes quatuor C. ( *in hoc loco, cæli melliflui Parisi.* ) Et scias me tibi non enarrare fabulas, sed valdè distinctè tibi declaro ordinem veræ practicæ, hoc pacto tamen, ut quamprimum eam deduxeris in actum, velis eam omninò occultare, considerando quantà obscuritate philosophi antiqui sua protulerint, quod tamen non egerunt, nisi ut prohiberent, ne ignorantes nimium erigerent suas cristas; eadem etiam ratione nos desideramus, ut sicut te sæpè sæpius admonuimus, velis servare secretè & tempore conveniente & loco elaborare pro te metipso & pauperibus Jesu Christi.

Cap. quantum significatum per E. Debeamus reddere gratias infinitas bonitati Dei æterni, quod tantà liberalitate nos docuerit modum conficiendi Cælum nostrum, & capaces reddiderit

diderit gratiæ tam admirabilis & inæstimabilis. Certum est, quum prima vice absolvissem secretissimam hanc scientiam, & vidiissem veram transmutationem, attonitus quasi fui, & sæpè elevando oculos meos in Cælum, prostratus fui in terram agendo gratias Deo omnipotenti. Nunc ad propositum.

℞. Vitrum magnum tantæ capacitatis, cujusmodi unum tibi monstraveram Murarii, in quod pone istius menstrui libras duas vel tres, claude optimè, & circula in balneo vel fimo equino, sed cave ne in fimi mutatione circulatio impediatur, & ita circuletur per spatium quadraginta dierum naturalium, & tum invenies materiam tuam claram instar cristalli cum hypostasi in fundo, quæ erit instar serici, quam decanta cautè in aliud vitrum, serva bene clausum in balneo, & habebis menstruum vegetabile simplex (si fuerit confectum ex spiritu ardente & sale mellis, compositum verò si ex Cælo mellifluo Parisini & sale mellis præparatum.) Cælum nostrum tantæ virtutis est, ut nequeat exprimi, hoc peragimus veram calcinationem & dissolutionem luminarium cum conservatione humidi radicalis. Hoc est, quod reducet tam imperfecta quàm perfecta metalla de potentia in actum. Et quamvis videatur me tibi non delineasse figuram vitri, scio tamen, & reminiscor, me horum quædam reliquisse in ædibus tuis, aliæque plura de cucurbitis nostris, quorum quodlibet bonum est. Gubernabis te ipsum juxtà tuam discretionem, quum sufficienter tibi aperuerimus viam veritatis in hoc capite.

### Ex Receptis observamus.

1. *Menstrua hujus septimi generis à superioribus simplicibus differre non in materiis, nec conficiendi modis, sed ingredientium ponderibus & usu.*
2. *Menstrua hæc non tingere dissoluta sua, quod alias menstruorum compositorum proprium est. Omnis quidem mercurius vegetabilis suum proprium in suo ventre continet sulphur tingens & sibi & aliis sufficiens, uti libro tertio & præsertim libro quinto demonstrabitur, nihilominus quatenus rebus magis tingentibus non acuatur, dicimus, quemcunque spiritum vini phil. carere tincturâ.*

P

VIII. Genus.